



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google


El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



40  
Diss.  
3803  
11

Fiche

40 Diss 3803(11)





DE  
FVNDAMENTO SEPARANDI  
IVRIS NATVRAE ET PHILOSOPHIAE MORALIS EX DIVISIONE  
OFFICIORVM IN PERFECTA ET IMPERFECTA  
PETENDO QVAESTIO RETRACTATA.

---

AVCTORE  
WILHELM GOTTLIEB TAFINGER  
IVRIVM DOCTORE AC PROFESSORE PVBLICO  
ORDINARIO IN ACADEMIA  
*FRIDERICO ALEXANDRINA.*




---

ERLANGAE  
SVMTV IOANNIS IACOBIPALM.  
MDCCLXXXVIII.

UNIVERSITY OF MICHIGAN  
LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF MICHIGAN  
ANN ARBOR, MICHIGAN

ИСТОРИЯ

ИСТОРИЯ ПЕРСОНАЛИТЕТА  
ИСТОРИЯ ПЕРСОНАЛИТЕТА  
ИСТОРИЯ ПЕРСОНАЛИТЕТА  
ИСТОРИЯ ПЕРСОНАЛИТЕТА







DE FVNDAMENTO SEPARANDI IVRIS NATVRAE ET PHILOSO-  
PHIAE MORALIS EX DIVISIONE OFFICIORVM IN PERFECTA  
ET IMPERFECTA PETENDO QVAESTIO RETRACTATA.

---

§. I.

**I**nter omnes legitimæ scientiæ partes nulla est, quæ tam  
diversis modis tractata, totque difficultatibus, ex vario  
hoc tractandi genere oriundis, involuta fuerit, quam ea,  
quæ fundamentum omnis illius scientiæ esse, primasque ac  
immutabiles rectæ rationis regulas continere debet, quibus  
vitæ societas ad rationabilem et nativæ hominum dignitati  
convenientem finem dirigenda est, quam *Iuris Naturalis* no-  
mine, ab origine eiusdem petito, recte designamus: Esse le-  
ges naturales non tantum eas, quibus sensitiva hominis na-  
tura constituta est, sed etiam intellectuales atque morales,  
quas recta hominis ratio sibi apprimè convenientes et naturæ  
sue superstructas, ipsa experientia duce, cognoscere possit,  
qui-

A

quibus Societas hominum, ipsumque sine societate non perduraturum genus humanum conservatum sit, nemo disputabit, nisi veritatis odio vel gloriolae captandae studio fortassis commotus. Quae veritatum rerum experientia adeo confirmatarum contemplatio eo maiori voluptate animum perfundat necesse est attentis nexu rerum spectatoris, quo clarius perspexerit, quam facili negotio eo pervenire possimus, ut de forma scientifica praeceptis naturalibus accommodanda hodie pertinaciter disputaturi de ipsa illorum materiali, quam vocant, existentia dubii vel plane incerti evadamus.

§. 2.

Neminem hodiernae studiorum nostrorum rationis peritum latet, universum doctrinae de officiis ambitum noviori aevo in duas disciplinas ita distributum esse, ut quae distincta olim quidem fuerint officiorum genera, in seiunctas partes iam dissecarentur, alteram, quae iura et obligationes vi adhibita, si velis, exigendas, sive officia perfecta sistat, alteram vero illud officiorum genus complectentem, quorum imperfecta obligatio, etiamsi internis argumentis eorum complementum pari necessitate suadeatur, nullam tamen vim admittat, eius, in quod cadit, subiecti obligati voluntati atque consilio relinquenda *a*). Illam iuris naturae perfecti, cogentis, stricte sic dicti (*des Zwangsrechts*), hanc philosophiae moralis nomine

- a*) Dari quadam officia, qua nulla plane vi exigi possint, vel sua natura obiectum coactionis, adeoque obligationis perfectae esse nequeant, alia autem esse, quae vi ab altero extorqueri nec ipsi aequitate naturali repugnet, certum est et quotidiano rerum usu comprobatur. Ex re autem erit, non ut novae res proferantur, natales dissectionis illius disciplinarum arctissimo vinculo connexarum conspiciere, brevibusque hunc in finem notare, quonam modo differentia illa officiorum antiquitus

mine communi fere loquendi usu indicant. Qua divisione posita illud patere statuunt, omne iuris naturae cogentis argumentum eo redire, ut quid in foro externo iustum sit, quid iniustum perhibeat, regulasque actionum humanarum ex cynosura fori externi dirigendarum praecipiat, quibus quae of-

## A 2

ficia

quitus quidem cognita, et noviori aetate eo perducta fuerit, ut separandarum disciplinarum ethicae et iuris naturalis in specie sic dicti fundamentum ac principium omni ex parte sufficiens habita sit. Et quidem allegata officiorum diversitas ipsi antiquitati iam perspecta, eiusdemque ratio haec habita fuit, ut distincta quamvis non plane iuncta sint duo ista actionum moralium genera, quarum quasdam "voluntatis et officii magis quam necessitatis esse observat *ICrus Paulus* in L. 17. ff. *commodati*." Nec a *Cicerone*, viro in hoc praesertim philosophandi genere versatissimo acutissimoque distinctionem iusti, honesti et decori, iustitiae et benignitatis omissam esse, luculenta testimonia extant imprimis in libro de officiis. *HUGO GROTIUS* in immortalis de iure belli et pacis opere differentiam iuris illius, quod ex societatis custodia, homini necessaria, profluat, et *iuris proprie talis* nomine ipsi venit, ab eo, quod *significatione largiori ius* dici et officia ad internam singulorum felicitatem spectantia continere observat. perfectam certe habuit, priusque officiorum genus, ad custodiam societatis relatum, *iustitiae perfectae*, alterum vero *attributivae* adscribit. Nec *PUFFENDORFIO*, strenuo *HUGONIS* sectatori, aliter res visa est in iure naturae et gentium lib. I. cap. 7. *WOLFIO* que in iure naturae methodo scientifica pertractato Tom. I. §. 663. Verum enim vero omnes isti viri, quos inter conditores iurisprudentiae naturalis summo iure referendos esse, quilibet aequus rerum arbiter profiteatur necesse est, quicquid recentiores quidam illis detrahendum, suaeque ipsorum gloriae vindicandum putaverint! illi, inquam, omnes distinctionem officiorum perfectorum ac imperfectorum, quamvis concessam, pro basi tamen doctrinae de officiis in ius natu-

4

\_\_\_\_\_

ficia iusta vi extorqueri possint, quae adeo perfecta sint, constituantur, philosophiam vero moralem in explicanda omni doctrina officiorum, quae ad felicitatem internam cuiusvis hominis pertineant, et in definienda actionum humanarum ad istum finem relatione versari.

§. 3.

Neque inficiandum est, iis omnibus, quibus divisio ista superstructa nititur, recte suppositis et ab omni exceptione liberatis hoc effectum iri, ut non modo sancita legum civilium ad dictamen rectae rationis de officiis socialibus perfectis revocari, eaque comparatione instituta argumentum de

exi-  
naturae cogens et philosophiam moralem plane dissecanda non posuerunt, neque internum, ex ipsa officiorum natura derivatum, *obiectivum* characterem immutabilem indicarunt, ex quo in quolibet casu recte et principiis sapientiae ac benignitatis infinitae convenienter constitui possit, quodnam officium perfectum sit nec ne. CHRIST. THOMASIVM in secundo de iure naturae opere, fundamentis scilicet iuris naturae et gentium, primum principia iusti seorsim, neque tamen sine commemoratione praecipitorum honestatis atque decori tractasse, non est, quod de viro celeberrimo moneam. Hunc secutus NIC. HIER. GUNDELING in iure naturae et gentium nova methodo elaborato ita ius naturale explicavit, ut doctrina iusti sub isto nomine separatim proposita reliqua officiorum capita philosophiae practicae commendaret. Magna inde ab illo doctorum iuris naturalis pars eandem rationem servavit, ut more iam recepto philosophia moralis et scientia iuris naturae separatim in academiis tradantur, quorum studiis non potuit non fieri, ut scientia nostra mirifice exornaretur, etiam si in constituendo ipso principio iuris naturae perfecti a philosophia morali separandi non omnis difficultas, intrinseca forsitan et obiectiva, adhuc dum sublata videatur. v. quae hac de re egregie disseruit HUFELAND in dem Versuch über den Grundsatz des Naturrechts, 1785. IV. Abschn.

exiſtentia legum naturalium in cuiuslibet civitatis iure bene conſtituto fundamentalium, non ex omni parte reiiciendum, erui, ſed etiam quicumque caſus in foro obvenientes, neque expreſſa legum civilium ſanctione deciſi, neque earum analogia decidiendi, ex principiis iuris naturalis, quaſi ex conſtituto iure poſitivo externo, ita diiudicari poſſint, ut nec ulla de recto coactionis uſu dubitatio permanſura ſit. Hoc inſuper etiam non ſine inſigni voluptate proſitemur, eos qui in diſciplina iuris naturalis perfecti intra limites fori externi contrahendi operam collocarunt, omni, quo fieri potuit, ingenii acumine praefertim in iis capitibus verſatos eſſe, quae ex altiori forſan et communi omnium officiorum principio derivanda videri poterant, ne inconſequens evaderet ipſorum argumentatio, ac diſciplinarum iam ſeparatarum ſpecialiora principia commiſcerentur b).

§. 4.

Quibusnam autem fundamentis nitatur illa officiorum diſiſio, an ita comparata ſit et in ipſa officiorum interna natura radicata, ut ſine formidine oppoſiti certo deſiniri poſſit, quatenam officia perfecta ſint, ſcilicet eadem ſemper obiecta coactionis iuſtae eſſe debeant, quatenam imperfecta, neque ullam unquam vim admittant? haec quaefſtio, ſi libere

A 3

profi-

- b) Non poſſum non allegare ingenioſiſſimam viri, noſtra aetate inter philoſophos celeberrimi excuſationem iuſti et aequi forſitan a ſe commixti, VLRICHI in praefat. noviff. edit. initiorum philoſophiae iuſti, Ienae, 1783. haec verba facientis: "ſicubi vero tamen contigerit, ut quibusdam uno alterove loco pro iuſto aequam venditaſſe videar, nescio an forte aliqua excuſatio fuerit ex *lege continui*, ad omnem naturam non magis, quam ad arbitrariam admodum ſcientiarum ac diſciplinarum deſcriptionem pertinente, ita ut in ipſo iuſti et aequi genere media quaedam, dubia certe ad nos, interiecta ſint."

profitear, quid sententiam, nondum planè expedita esse; neque ex obiectiva officiorum ratione omni ex parte ita resolvi posse videtur, ut affirmativa sententia extra omnem dubitationem ponatur.

§. 5.

Ne vero ea repetantur, quae novissime philosophus acutissimus *b)* contra recentius constituta principia iuris naturae et philosophiae moralis separandae, examine graviter instituto protulit, quaeque in manibus omnium esse censenda sunt, quibus subtilis atque strenua veritatum fundamentalium disquisitio in elementari iurisprudentiae nostrae scientia tractanda maioris momenti est, ex alia adhuc parte res examinanda videtur. Scilicet posita interim, etiamsi non concessa, existentia principii cuiusdam immutabilis, ex quo sola iuris naturae cogentis principia rite derivari, iustitia coactionis in omnibus iuris perfecti officiis adhibendae deduci, limitesque disciplinae iuris perfecti naturalis ac ethicae regi possint, hanc ingrediamur viam, ut consuetaria, quae in ipsa explicatione specialium iuris perfecti dogmatum ex quocunque folius iuris cogentis principio seorsim constituto sequantur, dispiciamus, et vel ex ista consequentiarum, interdum forte molestiorum, contemplatione ad alteram disquisitionis nostrae partem transeamus: an scilicet per ipsam internam atque obiectivam officiorum rationem fieri possit, ut immutabilis et absoluta divisio officiorum in perfecta et imperfecta recte proponatur nec ne. Inter omnia veritatem examinandi genera illud haud ultimo loco habendum est, quo consuetaria principii cuiusdam pro fundamento construendae scientiae positi specialiora ex hac visione considerantur, an ex eo

*b)* IOH. FRIEDR. FLATT in den *vermischten Versuchen*, Leipzig 1785. I. Abth. *Ideen zur Revision des Naturrechts* p. 1 — 114.

eo principio omnes casus specialiores propositi non nisi v<sup>t</sup> quadam ipsis doctrinae praeceptis illata decidi possint, an vero omnes eiusmodi decisiones recta et simplici ratiociniorum serie ex primo principio propullulantes demonstrentur? num itaque omnia ista confectaria intrinseca veritate nitantur, qua niti debent, si principium primo loco positum, ex quo illa deducuntur, verum et satis generale est, num vero specialiora confectaria, quae ex applicatione principii fundamentalis ad quoscunque casus, quos contingere posse intelligimus, enata sunt, contradictiones quasdam prodant, quae forte primo principii obtutu non tam clare patuerint.

#### §. 6.

Ad eiusmodi examen igitur specialiora quaedam, neque certe omnia specialissima, iuris naturae, cogentis dogmata, qualia haud infrequenter proponi constat, revoce-  
mus! "Omne id, quo status meus perfectior est, quod inter perfectiones meas habere licet, omne itaque *Meum*" (sensu generaliori) conservare et contra quemcunque aggressorem vi defendere per iustitiam fori externi licet." Huic vel maxime principio plurima recentiorum doctorum systemata iuris naturae stricte sic dicti inaedificantur, ipsumque hoc principium non iuris tantum naturalis absoluti et hypothetici, quod inter privatos obtinet, sed et iuris civitatis universalis et iuris gentium statuitur. Conservatio *τῶν Μει* igitur iusta est et naturali lege constituta causa, iurium et obligationum perfectarum mater: si violatur hoc *Suum* alterius, causa adest belli iustifica. Doceant autem, quaeso, illi, qui sententiae huic calculum suum adiiciunt, qua ratione ex gr. potestas parentum in liberos, tam late patens, tot humanitatis, grati animi, atque amoris officia complectens ex isto principio iuris cogentis solo explicanda sit! Dicant, si potuerint, qua ex causa, an ex dominio an ex pacto

pacto tacito cum liberis, omnis rationabilis consensus incapibus, inito parentes ius in liberos ipsis competens, ad *Suum* ipsorum referre recte possint? Hoc praesertim etiam exponant, qua ratione ipsa haec potestas parentalis ita determinata sit, ut parentibus liceat hac vice liberis vim inferre, alia non? Ast forsan res ita se habet! Iure naturali externo parentalis potestas, quocunque modo exerceatur, adeo fundata est, ut quicquid officii parentibus a prole sua praestandum, id etiam ex principiis *fori externi* a liberis vi iusta extorquere liceat, respectu non habito, quid iure interno rectum sit. Quotiescunque adeo officium quoddam parenti debitum negligitur, hic iure laesi uti, vimque iustam liberis inferre potest, quamcunque voluerit, etiamsi ex altera parte contra conscientiam et iuris interni praecepta peccet? Hoc concessio illud etiam dandum erit, principia iuris naturae perfecti externi et interni, siue aequitatis, in eadem re directe inter se pugnare. Quod vero si assumendum non videatur, si contradictorii quid assertioni huic inesse animadvertamus, veritates ex eodem omnium officiorum fonte profluentes sibi plane oppositas esse, nihil reliquum esse poterit, quam ut vel solo iure cogente parentum potestatem definiri statuamus, vel si aequitatis et humanitatis praeceptis locum quendam in illa explicanda tribuendum putemus, aut ~~omnem de parentum~~ potestatem tractationem iuri imperfecto tribuamus, omnemque coactionem ex notione iuris imperfecti stabilita ab illa prorsus abesse decernamus, aut limitem quendam, haecenus non detectum, inveniamus, quo quid in eadem materia ex iuris perfecti, quid ex imperfecti praeceptis statuendum sit, definiatur. Ni fallor, omnes istae viae ad perspicuam tractationem iurium et officiorum inter parentes liberosque a natura constitutorum haud perducunt, hoc tractandi principio posito, praecepta iusti et aequi de eadem re eadem propositione nunquam esse complectenda!



§. 7.

Quid porro aliud de matrimonio, ex eoque descendentibus mutuis coniugum officiis sentiendum? Quis est, qui omne ius cogendi matrimonio constituo eliminaverit, quis e contrario, qui omnia coniugum officia coactionis obiecta esse et iusta vi exigi posse unquam contenderit? Neque tamen principium adest, ex quo determinari possit, quatenam officia coniugum sua natura necessitatis et coactionis, quatenam humanitatis sint, quae itaque officia coniugalia ad iuris cogentis praecepta vel ad philosophiam moralem referre debeamus. His omnibus rite consideratis annon hoc asserendum, utramque, de qua diximus, societatem, parentalem aequae ac coniugalem amplissimam officiorum seriem, nullo limite naturali iustae vel iniustae coactionis constituto interruptam, continere, utramque exemplo esse, ex *lege continui*, etiam ad veritates morales pertinente, aequitatis et iustitiae circa illam praecepta, vinculo indissolubili connexa, ita disiungi non posse, ut iuris naturae cogentis et ethicae partes certo ac immutabili axiomate discernantur? Taceam iuramenti obligationem, cuius tota vis ipsaque notio non ex fori externi ratione sed ex solo Divini numinis cultu pendere certo certius est d).

§. 8.

Ad ius civitatis uniuersale et quidem externum, ex eodem primo iuris naturae cogentis praecepto communiter ita derivatum, ut non nisi nova coactionis iustificandae causa  
ex

d) HOEFFNER im *Naturrecht des einzelnen Menschen, der Gesellschaften und Völker* §. 103: "wenn der Eyd Sicherheit verschaffen soll, so mus der Schwörende einen Gott und eine göttliche Strafgerechtigkeit glauben."

B

ex coetu hominum civili accedere doceatur, si animum advertamus, etiam in hoc praeceptorum naturalium systemate angustior primi principii ambitus apparet. Etiam in hoc egregio iuris naturalis capite, omnia ad limites iustae coactionis referuntur.

§. 9.

Ipsa civitatis notio plerumque ita definitur, ut omnis civitatis finis in securitate (vel, ut alii volunt, felicitate externa fruenda) constituenda ponatur, cuius causa coetus hominum sui iuris imperio communi subiiciatur e). Qua securitate vel felicitate externa violata coactione iusta utitur suprema potestas civilis, ut quae contra hunc finem societatis civilis facta sint, tollantur, emendentur, utque in futurum nihil contra illum tentetur. His generalioribus iuris publici universalis principiis ex fundamentali iuris perfecti cogentis axiomatae deductis nituntur plerorumque systematum recentiorum praecepta specialia. Ex iis itaque non solum summi imperantis sed etiam subditorum mutua iura et obligationes deducuntur, idque omne definitur, quod summo imperanti debeat, quod ille iuste facere possit, quodque etiam facere debeat, omniaque haec officia iuris naturae perfecti sanctione fundata traduntur, *moto iuris civitatis* systemate illi inaedificato. Iam vero, si de iuribus subditorum iisque respondentibus obligationibus summi imperantis quaeritur, ex his praemissis omnia officia, quae summo imperanti incumbunt, perfecta forent, vi iusta ab illo possent exigi. Quod cum ex ipsis salutis publicae principiis in quocunque subditi contra imperantem *moto* gravamine admitti non possit, leviolem quidam causam afferunt, qua hunc co-

e) Cf. instar plurimorum *Cor. Ant. de Martini* positiones de iure civitatis, Vindob. 1783. 8. cap. I. §. 9. etc. HOEFFNER I. c. §. 171.

coactionis contra imperantem adhibendae usum impediunt. Ex ipso scilicet subditi erga supremæ potestatis moderatorem nexu hoc consequi aiunt, ut vix in ullo casu obventuro, rarissime saltem, subdito ius competat disquirendi, an iure suo perfecto læsus sit, nec ne; rationemque expetendi, qua summus imperans comotus aliquid contra ipsum constituerit, vix itaque subdito ius perfectum, vi adhibita, obtinendum contra summum imperantem adiudicetur, caetera omnia, quamvis officii sint, et ab hoc ex ipso civitatis sine præstanda, voluntati, ac si gravius tractanda res videatur, conscientiae ipsius relinquuntur. Qua consequentia statuta non possunt non eo tandem devenire doctores illi iuris civitatis universalis, ut maximam partem officiorum summi imperantis iuri imperfecto, quod nulla vi prosequi licet, adscribant, quamquam ipsum iuris perfecti cogentis primum principium pro unico fundamento iuris civitatis ab initio posuerint, ut interdum specialiora dogmata sistentes notiones directrices iuris cogentis, a se ipsis constitutas, dereliquisse, proque iusto æquum, ut natura obiecti ferebat, venditasse videantur f).

f) GROTIUS de iure belli et pacis non ex sola iuris cogentis idea principia iuris civitatis universalis adstruens duplex ius statuit: *æquatorium* et *rectorium*. Illud exigere docet præstationes reciprocas, ex illo descendere ius cogendi inter socios reciprocum; hoc vero non habere præstationes reciprocas, in hoc cessare ius coactionum ex parte subditi adversus superiorem. Lib. I. cap. I. §. 3. n. 2. Ex quibus patet, illum initio tractationis suae non solam ideam iuris cogentis fundamenti loco posuisse, non omnia ad iustam coactionem solam reduxisse.

Quare autem in societate hominum civili alius, isque homine dignior, finis non prosequendus, quam sola ista securitas felicitasve externa? Tantine est prima illa iuris civitatis universalis et universi iuris naturae strictè sic dicti suppositio, qua omnia ad coactionem in foro externo necessariam referuntur, ut ipsa summi imperantis iura illius retinendi causa coangustentur, ut politiae cura illi competens nonnisi felicitatem atque securitatem civium complecti *iuste* possit, cuius in bene ordinata civitate multo amplior est scopus in vigilanter conservanda et augenda civium qualicunque felicitate constitutus? g) Cur notionem politiae, ex qua singula iuris politiae dogmata derivanda sunt, in angustiores fines redigamus, ut ad securitatem externam tanquam principale et generalissimum obiectum omnem expositionem referentes, quicquid princeps ad promovendam internam felicitatem civium ex iure politiae auctoritate publica, vi munita, fecerit, ex hypothèsi nostra iniuste fecisse recta iudicii nostri consequentia profiteri cogamur, nisi, quod haud infrequenter accidere experientia docet, in media argumentorum expositione aliam de fine politiae notionem, verbo quodam pro synonymo venditatio expressam, vitio quodam subreptionis commisso substituere velimus. ~~Etiam~~ in hoc capite, si in ullo unquam, hoc mihi persuasum habeo, principia solius iuris cogentis ad formandum systema iuris civitatis universalis non sufficere, finem civitatis moralem non in sola securitate externa stabilienda positum esse, etiamsi haec ad civitates constituendas proxima causa impulsiva ab initio fuerit; ampliori itaque fine societatis civilis existente in explicandis iuri-

- g) V. si placuerit, quae de gravi hoc argumento exponere tentavi  
*über den Zweck des deutschen Polizey- und Kameralrechts. Tübingen,*  
 17.7. 8.

iuribus imperantis et subditorum mutuis non omnia ita expediri posse, ut ea officia, quae ex notione societatis ac praesertim civilis descendunt, et iusta vi ex necessitate societatis quandoque exigi possint adeoque etiam debeant, ab iis secerni possint, quae nullam vim unquam admittant, quaeque non iuri perfecto, sed philosophiae morali et arti, si velis, politicae solis commendanda sint. Absit, ut, quid in societate hominum vel in civitate constituta iustitia expletrix praecipiat, haud considerandum esse velim. Liceat tantummodo contra modum disquisitionis excipere, et dubia quaedam allegare, quae ipsa virorum illorum, qui solam fundamentalem notionem iuris naturae stricti sive cogentis vel in iure civitatis enucleando profecuti sunt, expositione nondum remota videntur.

#### §. II.

Quae haecenus in iure naturae singulorum hominum officia, quae vocant, perfecta continente et in iure civitatis interno ex principiis iustae coactionis explicando difficiliora observare licuit momenta, quibus illud tractandi genus a sola iuris cogentis notione petatum suspectum quodammodo fieri debet, et etiam in iure gentium universali eadem methodo ex eodem fundamentali principio exponendo, paullo attentius inspecta, suboriuntur. Ponatur etiam, quod tam facili negotio probari non posse videtur, diversitatem inter subiectum iuris naturae et gentium, singulos scilicet homines et gentes sive civitates, tantam non esse, ut nulla prorsus inter nexum socialem singulorum hominum et gentium inter se analogica ratio deprehendatur, quae applicationi praeceptorum iuris naturae singulorum hominum ad definienda iura et obligationes gentium inter se locum faciat, hoc tamen patere putem, etiam iuris gentium universalis doctores ex solo iuris naturae cogentis principio illud

B 3

deri-

derivantes ad hoc extremum haud raro pervenisse, ut vel pugnam principiorum iuris naturae cogentis et philosophiae moralis in explicandis gentium mutuis officiis statuere debeant, vel in hoc philosophandi genere omnem philosophiae morali stricte sic dictae locum denegare b).

§. 12.

Ius belli inquirunt doctores isti iuris naturae perfecti, singulorum hominum ad gentes applicati, competit genti cuidam pariter ac singulo homini, simulac ius quoddam perfectum (quod ad *res suam* gentis illius pertinet,) laeditur; tunc enim adest causa belli iustifica. Hoc belli ius laeso adversus laedentem competens est infinitum. Non dici potest, quam diverse accepta fuerit haec sola, per se vera, doctorum thesis, qua hoc continetur, laesione facta vel imminente, ut illa redintegretur vel avertatur, ac in utroque casu ut in futurum securitas impetretur, laeso ius esse tantam vim laedenti inferendi, quanta opus sit, ut laedens vel laesus ad restitutionem damni sive ad securitatem praestandam, priorque ad utrumque illud faciendum adigatur i). Huic iuri modum a priori praescribi non posse res ipsa docet; quantitas enim vis adhibendae, quae non nisi tanquam medium ad finem ex regulis iusti iustitia est, ex cuiusvis specialis facti contingentibus, ex individua hostis laedentis fa-

cul-

b) Excipiantur, quos inter potiores doctrina huius cultores allegare liceat, praeclarus HUGONIS GROTII de iure belli et pacis liber, et systema iuris gentium Ioh. Franc. Loth. Schrodt, Pragae 1768. 4. qui in exponendo iure gentium universali aequitatis etiam et humanitatis rationem habuere, non omnia ad iuris cogentis solam notionem referentes.

i) Ill. HOEFNER I. c.

cultate vel voluntate nocendi determinanda est. Hanc ob  
 causam ius hostis in hostem in bello infinitum i. e. indefini-  
 tum esse intelligimus. Alio plane sensu vera haec iusti in  
 bello observandi regula accepta fuit a recentioribus praeser-  
 tim quibusdam illud ipsum principium de iure belli indefinito  
 initio tractationis suae eodem, quo exposuimus, modo pro-  
 ponentibus, postea vero statuentibus, in hostem quemcun-  
 que omnia licere, qualiacunque mala illi iuste inferri, ve-  
 neno hostem necare, armis venenatis interficere, principiis  
 iusti consentaneum esse. Ius belli laeso contra laedentem com-  
 petens pro vero horum corollariorum fundamento ponunt,  
 ipsam vero belli notionem, quod sit status hominum per vim  
 certantiam, principio constitutam derelinquunt, *iure belli* non  
 vim modo, sed qualiacunque ad finem impetrandum media  
 inhonestissima licita ex regulis iusti esse docentes! Verum  
 etiam ex alia adhuc visione inspecta falsitas principii de  
 iure belli infinito, hoc modo accepti, apparet. Annon om-  
 ni humanitatis sensui repugnat, furem, qui partem quandam  
 bonorum meorum fraudulenter mihi abstulit, necare, omni-  
 busque, quibus possim, malis eum opprimere iustum esse, non  
 tantum, ut rem ablatam ille restituat, sed etiam, ut securum  
 pro futuro me praestet? Habeat sibi, respondent illi iuris  
 naturae stricti ad gentes applicati defensores, hostis, qui fa-  
 cto suo iniusto ad tantam violentiam ipse inferendam ius  
 mihi dedit! Hoc ipso autem concedunt, vel tantum con-  
 tra hostem in damno restituendo vel securitate praestanda  
 contumacem hoc ius belli infinitum laeso competere, qui,  
 quia pertinax est, pertinaciamque suam quid secuturum sit,  
 novit, omnia, quae feret, mala hanc ob causam sibi ipsi de-  
 beat: vel contra quemvis laedentem quantamcunque vim  
 iuste adhiberi posse, non inspecta quantitate vel qualitate  
 laesionis acceptae, neque respectu habito, an rationabilis vi-  
 olentiae adhibendae finis moderatori coactionis usu impe-  
 trari queat. Prius si assumunt, omnimode infinitum belli  
 ius

ius iniuriam passio competens non tribuunt sed illud, quod ex hostis animo et facultate resistendi metiendum sit, quod itaque cessante repugnatione et securitate ab hoste pro futuro praestita cessare debeat: si posterius statuunt, inhumanam ferunt sententiam, leges iustitiae tradunt arbitrarias, ex primo officiorum iuriumque naturalium fonte, ex finibus sapientiae ac benignitatis infinitae generi humano praefixis et rectae rationis ope cognoscendis, prorsus non profluentes, nec positiva legum civilium sanctione retinendas. Quis enim leges civitati ferens hanc normam constituet, eum, qui vel minimo bono quodam suo (*quaecunque* enim violatio *Sui* alterius est causa belli iustifica!) iniuste privatus est, contumeliatorem rei suae summo iure necare, omniaque ei mala inferre posse? Quis est, qui in societate civili moderanda statuet, qualemcunque e. g. bonae famae alicuius illatam iniuriam atrocissimae etiam violentiae usum contra iniuriantem non excusare tantum sed revera iustificare? Barbarum profecto illi ius gentium tradunt ac belluinum, ea aetate, qua humanitatis praecepta nova Christianae religionis sanctione commendari profiteamur, iusque belli docent, ab ethnicorum philosophis in horrore habitum k)!

§. 13.

Quodsi itaque notionem iuris cogentis, absolute talis, tenaciter prosecuturi eo usque progredi nolumus, ut iustitiam ab omni aequitate disiunctam, primo omnium, etiam iustitiae, officiorum fonte ac principio derelicto existeré, iuris-

k) Cf. quae *Cicero* de offic. lib. I. c. 11. de eo, quod hosti etiam tribuendum sit, exposuit, cum doctrina ista scriptorum quorundam iuris naturalis de iure belli infinito.



creto obvenienti vel a priori posito, speciale illud principium applicari nequit, quod ad aliam facti speciem, relationem hominum aliter determinatam, refertur.

§. 20.

Quid verò huic internae praeceptorum naturalium ad externa officia respicientium, quae ex eodem officiorum primo fonte descendunt ac interna, indoli magis consentaneum est, quam ut casum quemvis actu obvenientem vel cogitabilem examinemus, quonam scilicet praecepto specialiori vel generali continetur, an hypotheses illae ad constituendum speciale praeceptum positaе in facto obveniente diiudicando revera occurrant, an vero casus propositus ex altiori forsitan et generali praecepto sit decidendus? Quid rectae rationi magis conveniens, quam ut omnem praeceptorum naturalium ambitum percurramus, et si specialioribus praeceptis omnes casus atque relationes hominum definiri non posse perspexerimus, totam doctrinarum seriem percurramus disquirentes, quonam praecepto proposita facti species contineatur, atque ita vel ex primo demum omnium officiorum principio cognoscendi decisio eiusdem petatur? Qua disquisitione viam facta eo pervenimus, ut si casum qualemcunque diiudicandum uno quodam praecepto decisum esse nobis constiterit, de applicatione alius principii, huc non amplius referendi, dubii esse nequeamus, atque ita collisionem legum et praeceptorum naturalium obiectivam revera non existere, ac ex uno eodemque generali principio propositiones directe sibi oppositas emanare non posse convincamur. Sic quod iure necessitatis facere licet, hac ex ratione licitum fieri patebit, quod praeceptum quoddam speciale e. gr. de non violando dominio aliorum ad communem vitae socialis ordinem accommodatum positum aliis in facto contingentibus conditionibus applicari sine maxima ini-

D

quitate

quitate nequeat, quodque ad diiudicandum hinc minus forsitan frequentem, extraordinarium, hominum aliquorum inter se habitum alio atque generali praecepto opus sit, hoc scilicet: quicquid finibus sapientiae et benignitatis infinitae maxime conveniat, ac perpensa omnium circumstantiarum ratione optimum visum fuerit, faciendum esse.

§. 21.

Ast fortassis obiicietur, hoc singularum doctrinarum de officiis nexu posito illud effici, ut omnis iam differentia iuris, quod vocant, naturalis externi et interni tollatur, disciplinarum usu constituto separatarum praecepta denuo inter se commisceantur! Quod ego constanter negandum esse putem, certo certius esse credens, magnam esse diversitatem, officiorum ex eo fundamento derivandorum, quod in sola felicitate interna singulorum perficienda ponitur, eorumque, quae ex nexu singulorum hominum erga societatem consequuntur; magnam etiam diversitatem ex eo patefieri, quod ad officia, singulorum internam felicitatem immediate respicientia, aliis compelli debeamus causis moventibus, quam ad ea, quae ex socialis vitae notione profluunt, quaeque externa vocantur. Neque maius vel gravius officiorum externorum fundamentum excogitari posse videtur eo, quod cum nativa humani generis indole artissime connexum est, atque in societatis vel sensu generalissimo acceptae, conservandae ac perficiendae necessitate positum est. Separantur itaque officia, quae ad felicitatem singulorum spectant ab iis, quae ad societatis perfectionem! Doceatur, ex ipsa societatis natura multas iuris stricti ideas enasci, notionem iusti eo, quo nunc accipitur sensu, eadem, si non formatam, valde tamen confirmatam esse, in societate conservanda rationem etiam conservandi <sup>ro</sup> Sui cuiusvis hominis necessario sitam esse, societatis causa saepe alterum ad implenda socialia eiusmodi officia adigi posse

posse, saepe adeo adigendum esse, etc. Sed illud simul animo teneatur, etiam societatis conservandae finem generali omnium praeceptorum naturalium principio subordinatam esse, illam etiam ad summos sapientiae et benignitatis infinitae fines, generi humano constitutos, medium esse, neque societatem finibus istis consentaneam cogitari posse, in qua constituenda benignitatis atque aequitatis ratio omnis propulsa sit, ipsam societatis conservationem aequitatis cum iustitia coniunctae cultu niti, atque hoc aequitatis respectu habita necesse fieri, ut coactionem, ex sociali vita plane non propellendam adhibitori disquiramus, an malum minus futura sit adhibenda violentia legibusque igitur sapientiae ac benignitatis infinitae conveniens, vel non? Hoc autem observato concedatur, ideam iuris perfecti, si in sola violenta exactione admittenda posita sit, accidentalem esse ac variabilem tam quoad quaestionem: an officium quoddam vi exigi possit nec ne? quam quoad alteram: quo modo illud exigi debeat? neque adeo separando systemati iuris externi ad societatis custodiam relati atque philosophiae moralis pro vera ac immutabili fundamento inservire posse.

§. 22.

Poterant, et fortassis debere videbuntur, haec cogitata pleniori expositione illustrari, et largiori scriptorum allegandorum copia exornari, exemplaue locupletissima proferri, ipsas adeo civiles leges aequitatis ac honestatis rationem sequi, multaque officia esse naturaliter, si velis, imperfecta, auctoritate legum civilium arctiori obligandi vinculo, coactione, munita. Poterant etiam, si de auctoritatis praesidio sententiae nostrae vindicando quaestio forsan moveatur, virorum, laude mea longe superiorum, PVFENDORFII, WOLFII, DARIESII aliorumque praecepta hac de re gravissima allegari, quos disciplinas iuris naturae et philosophiae

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

100 EAST EAST  
CHICAGO, ILLINOIS 60607

1968







